GAUDEO

John Carter Brown
Library
Brown University

150

BOUND BY RIVIERE.

DE ORBIS

TV AC DESCRIPTIONE, AD RE
uerendiſſ. D. archiepiſcopum Panormitanum,
Franciſci, Monachi ordinis Frãciſcani,
epiſtola ſane quã luculenta. In qua
Ptolemæi, cæterorumq́; ſupe
riorũ geographorum hal
lucinatio refellitur,
aliaq́; præterea
de recens
inuen
tis
rris, mari, inſulis. De ditione papæ Ioannis. De ſitu
Paradiſi, & dimenſione miliarium ad pro
portionẽ graduum cœli, præclara
& memoratu digna recen
ſentur.

Hoc orbis Hemiſphærium cedit regi Luſitaniæ.



Hoc orbis Hemiſphærium cedit regi Hiſpaniæ.



CVM PRIVILEGIO INVICTISSI-
ni Romanorum imperatoris Caroli quinti, ad quin-
quenniũ, ne quis uel typis excudat, uel excudendos cu
ret hos codices geographicos, una cũ globis, ſub mul
ta amittendorum exemplariũ aliaq; pœna princi-
pis ſeueritate inferenda.

IOANNES CARONDELETVS, ARCHIEPISCOPVS PANORMITANVS FRANCISCO MONACHO SVO. S.

ORbis globum, in quo terræ ac maria luculenter depicta ſunt, vna cũ epiſtola accepimus. Qua in re vehementer animũ tuum exoſculor, qui me ſpõte atq; vltro huiuſmodi officijs ac donis proſequeris. Itaq; ſic habeto noſtræ facultatis arcam, & mutuæ gratitudinis viciſſim tuis reſetã er meritis. Verum quoniã nonnulla non minimi momenti contra veterum & quidem principũ geographorum authoritatẽ tradidiſti epiſtola, eam prouulgandam & typis excudendam putauimus, Neq; enim nobis ſolũ (vt ait veriſſime Plato) nati ſumus, Quod vt in alijs rebus iuſtiſſmum eſt, ita in literis multo maxime, adeo vt prouerbio veteri increbuerit, Muſarũ fores ſemper patere. Secuti igitur officium, Chalcographi officinæ epiſtolam commiſimus, Ex qua tanquam ex plantario in genus humanum longe lateq; propagetur, et quo clarius ac explicatius & legi & intelligi poſſet, in membra parteſq; epiſtolam diducendam mandauimus, Quod te offendere haud quaquam debet, cum in eo nõ meam vnius, ſed plurimorum præterea gratiam tibi conciliaueris, Macte virtute eſto Franciſce erudit iſſime, qui non iuxta monachorum vulgus ſubciſiuas horas torpore & ignauia tranſigis, ſed præclariſſimis, atq; optimis impertis ſtudijs. Ego pro tuo iſto tam laudabili inſtituto, & priuatim in me beneficentia, te eximia quadam charitate complector, demonſtraboq; data occaſione tuorum munerum atq; animi memoriam apud me non leui momento æſtimatam.

Reue-

REVERENDISS. PARITER, AC IL-
luſtriſſimo domino Archiepiſcopo Panormi
tano, Ioanni Carondeleto, Fran-
ciſcus Monachus, Salutē.

HErculē illum tantopere & Poetis
& oratoribus decantatum Heroa,
quod & regna tyrannis, & orbem
monſtris liberaſſet, hominum vita
beneficiorum memor in cœleſtium
numerum retulit, ſumma nimirum
laude, & amabili voto. Quid enim
ingrati animi peſte deteſtabilius?
quid remunerationis talione iu-
ſtius? aut grata memoria magis neceſſarium? magis piū?
Quo nunc verecundius ampliſſime Præſul, noſtra ad te
venit epiſtola, etſi teſte Cicerone, epiſtola non erubeſcit,
ſed tamen conſcia tuæ in me eximiæ ſane et commemora
bilis benignitatis, extimeſcit frōtis perfrictæ notam. Sed
cum apud ſapientiſſimos reperiam, eum qui gratiam ha
bet, referre, neq; cuiq̃ eſſe frandi non poſſe, ſed nolle red-
dere beneficium, haud dubitaui exemplo illius paupercu
læ, quę non obillati in gazophylacium doni magnitudi-
nem, ſed pietatis officium, laudem tulit, ad tuæ reuerētiæ
(permitte mihi ſic dicere) aram, elucubratum hiſce dieb⁹,
atq; ni fallor, adfabre exaratum terræ globum, ceu pri-
mitias quaſdam deferre, neq; enim hoc quantuſumcunq;
eſt munuſculi, tibi vel ad fructū fore arbitror, vel ad vo-
luptatē alienum, quippe qui vt honoris & dignitatis fa-
ſtigio inter principes viros emines, ita omnis virtutis, op
timarumq; artium ſtudio & delectatione teneris, idq; nō
ſine gloria, neq; enim opes, aut honores, aut generis
& imaginum ſplendor, humanum genus ſic cōmendant
ac virtutis & laudabilium cultura diſciplinarum. Præter
ea non illud in minimis duco, videre nunc demū terras,

maria, in lucem prolata quæ ab vltimis temporibus in hanc vſq; diem in tenebris iacuerunt, non Eudoxo, non Eratoſtheni, nō Ptolemæo cognita, nō vlli ante ſeculo ex plorata. Fertur Hadrianus imperator conſpecta modo apud terræ menſores quorundam locorū figura, ex tēplo nullo nō impendio, terreſtri, maritimoq; itinere, ad ea coram cōtemplanda contendiſſe. Reuiuiſcat nunc ille, incredibili ſtatī rapietur deſyderio viſendi nouas, celeberrimasq; regiones, gente, feris, ritu mirabiles, ipſius ætate ne nomine quidē, ac fama, imò vix ſuſpitiōe notas. Nā de errore oīm prope ſuperiorum Coſmographorū qd attinet dicere, cū autore Plinio, nullius ſit venia iuſtior, ſiqui dē minime mirū eſt mortalem nō omnia noſſe. De cætero nulla æque res naturæ pulchritudinē, rerū varietatē, mundi imaginem, & dei opificium declarat, quid ſpecioſius tot terrarū piſciū, auiū, tot florū, fruticū, arborū, tot vrbiū, montiū, fluminū, regionū, æquorū, hominū, terrarūq; ſpectaculo? quid ita diuerſum & multiplex ac diſtinctū? mundi facies vnde certius colligi poſſit, quā ex anni viciſſitudine, tēporūq; mutatione, ex ſolis curſu ſtatis diebus, alias atque alias orbis, vegetantis & illuſtrantis partes? Quid illo aut mirabilius, aut clarius dici queat, radiū gnomonis nautici ſub zona torrida nutare, voluiq; in gyrū vtroque ex æquilibrio vim lapidis magnetis ad ſe rapiente polo, maniſeſto argumento hic eſſe terræ vmbilicū, & diuiduā mundi totius, orbiſq; lineā. Atque ex omnibus æſtimanda venit ingenioſa dei, & elegans fabrica, qui cuncta ordine, modo, & quadā harmonia ſic diſpenſauit, vt ingenue fateri cogamur mundū & ratione conditū, & dei ſummi manū & gubernaculū ſequi. *Sed* næ ego intempeſtiuus qui totū Oceani circuitū circūuecturus in portu hæreo atque vniuerſum terræ ābitū peragraturus contēplationis & ſpectaculi voluptate, proficiſcendi tēpus extraho.

Accipe igitur optime Presul liberali hanc epiſtolā manu Art-

u, Artaxerxis illius imitatione, qui propinantis aquæ
auſtum plæbei hominis animũ complexus, multo ære
ureaq; phiala rependit. Sed quoniam non pauca in hac
oſtra terræ pictura & deſcriptione à ſuperiorum auto
ũ monimentis & traditione diſſonantia perhibemus cõ
itui cõpendio, atque carptĩ oĩm rationẽ perſtringere.

Omniũ qui vnquã floruerunt Coſmagraphorũ, citra
ontrouerſiã principẽ locũ obtinet Claudius Ptolemæus
Verũ quantũuis hic magnus, & quãlibet graphice, ac pe-
ite Coſmographiæ faſtigia tradidit tamen vel ſua ipſi-
s confeſſione orbis deſcriptioni ſupremam manum nõ
pposuit. Quin nequartam quidem ſphæræ partem, ſi
iligentius penſiculetur, perfecte, conſummateque ab ip-
o expreſſam comperiemus, neque enim ipſemet it inſi-
ias in locis ſemotioribus, & ideo minus ex ploratis ſeſe
alliucinatum. At ab inſulis fortunatis ad portum vſque
abæ longitudine. 170. latitudine ſeptentrionali. 4. parti-
m, quem ſuperiores viatores Syambam, Luſitani Iam-
iam nuncuparunt, recipienda eſt eius de ſcriptio ijs
untaxat exceptis, quæ partim in noſtra regione, par
im in mari Indico, accurata perueſtigatione Luſita-
orum corriguntur. Quicquid reſtat terrarum or-
iſquè in ortum, aut auſtrum, vel caſtigandum fuit, vel
upplendum.

Secutus eſt Marc⁹ Beneuentanus, hic vero quãuis re-
entiorũ nauigationũ inuentis & indicijs, ac nonnullo-
um itinerarijs geohraphiæ tũ abſoluendæ, tũ emendan
æ ſedulam operam nauarit, nihilo tamen ſecius à
nea longe diuerſus abit opinione. Nam orientis terras
ltra zonam Capricorni porrectas interfluo mari ab
ccidentalibus nuper repertis regionibus diſiunxit.
nſumma huius multo maxima pars ſententiæ ſunt, vt
d occaſum dudum inuentas plagas ab orientalibus fini
us dirẽptas æquoris interuentu, ac diſcluſas exiſtimẽt.
go contra ſentio & præſenti deſcriptione demonſtro

 nauiga-

nauigationes ab occaſu cunctas, in orientis demum fines ſpectaſſe. Tum generatim Aſiam, Aphricam, Europam, & particulatim Indiam Culuacanā, ac ad Septētrionem Suediam, Ruſſiam, Tartariam, Baccalaream, terram floridam, omnes haſce regiones ſpacioſiſſimas, & longiſſimo diſſitas interuallo, cōtinenti tractu, & perpetuo limite cohærere, atq; ipſam præterea Americam Orientalibus & Culuacanæ cōnexam eſſe, quanquàm hoc poſtremum nondum certo nobis conſtat fieri tamen poteſt vt nunc hiſpanis non ſit ignotum.

Cæterum vt citra reuerētiæ tuæ moleſtiam, non magnis ambagibus rem explicem, collatis exemplaribus itinerariorum Marci Veneti, Ioannis Mandeuilli, fratris Oderici, cum ſecunda narratione Ioannis Corteſij, & nauigatione ad inſulas Moluccas, video priores cum Ferdinandi dictis & hiſtoria concinere, in ijs quæ de regionis opulentia, ipſiusq; imperatoris potentia & magnificentia prodit. De ſitu præterea eiuſdem Vrbium terræ congruunt omnes, licet in nominibus diſcrepent, at nominū nos cura non magnopere ſolicitos habeat oportet, modo res ipſa manifeſta euadat.

Quantum ad itinerariorum ſcriptores attinet, primus eſt in manibus Marcus Venetus, hic librum condidit de regionibus orientis. Nam anno à natali Chriſtiano. 1272 terra iter faciens, Syria, Perſia, vtraq; India emenſa, poſtremo ad vltimum orientis imperatorem, quem magnū Can appellant, peruenit. Quæ res nobis ſanè fidem aſtruit, terras haſce indiuiſas & coniunctas eſſe. Innumera hic & penè incredibilia de opibus & potentia magni Cā narrat, in eius enim contubernio ad annos vſque 23. ſeſe fuiſſe teſtatur. Idem autor eſt, quemadmodum anno poſt natum Chriſtum. M, cc.xx. Tartari terras ad orientem ſitas occuparint, eiſq; etiamnum dominentur Hic orientalis tractus regiones nonnullas deſcribit quidem, ſed ſcrupulum inijciunt vicorū, vrbiū, & regionū

nomina,

nomina,orthographię vitio ferè corrupta,librariorũ ac typographorum culpa. Connumeratur autem in primis inclyta vrbs Themiſtetan,in lacu Salſo poſita, tum ſitu & loco,tum opibus ac magnitudine Venetiarum inſtar atq; etiam amplior,quam.xxv.miliarium interuallo ab ora maris orientalis diſtare perhibet. Idem autor eſt, in hoc mari celebrem eminere inſulam,nomine Sypangum Sed quod ſcribit haud ſæpe id mare nauigari à cæterarũ regionum mercatoribus,ad easq; inſulas commeari, ignorabat ſcilicet cauſam,arbitratus hoc mare cum vicino quod Sur vocatur,continuo & indiuiduo æquore coniungi. Huic inſulæ ab hiſpanis ad occaſum inuentæ nomẽ dixit Incantane. Petrus Martyr in libris decadũ,contendit Hiſpaniolã ante nuncupatã eſſe Sypangum,eandẽ & Ophiram appellari,ab auri nimirum abũdantia.

Propterea tamen credi nolim Salomonem eam claſſem quam in orientem conuehendi auri gratia ad ornamentũ phani Hieroſolymitani miſit,in hanc inſulã deſtinaſſe,nã Ophirã illam portũ eſſe aſſeruerim ĩ Aethiophiæ ora circa zonã torridã ac regnũ Melindarũ,eo enĩ loco ingens eſt auri copia,conſtatq; Luſitanos portum illic inueniſſe Opim ab indis vocatũ,Græco eloquio Ophiram non inconcinne dixerimus,ratio enim perſuadet vt hinc potius aurũ à Salomone petitũ exiſtimemus quàm ab Hiſpaniola,quàm à Hieroſolymis M.D.C C C.miliarium ſpatio diſcedere certum eſt,dimenſu itineris vel cõpendioſiſſimo atq; rectiſſimo,idq; ad occaſum: Porrò ad ortum,interuallum deprehendo mari. M M.C C C.miliarium,terra ferme. D C C.in vniuerſum. M M M. Abſonum prorſus & alienum rationi videtur tam immẽſo ſpacio aurum emoliri et comportari iuſſiſſe Salomonẽ.

Hic Marcus Anno ab inſtauratione mundi. M.C C.lxxxxvj.maritimo itinere,per inſulas maris Sur, quarũ nonnullas recenſet,ac deſcribit, verum minus ordinate,domum atq; in patriam remeauit, Is Taprobanæ Ia-

næ,no

næ nomen facit,complurácꝫ regna in ea commemorat, atque in quodam eiuſdem inſulæ regno ſeſe moram dux iſſe,Samora appellato,eam Indorum natio & incolæ Samotram dicunt,& forte,vt paucis quod coniectura auguror,attingam,à nomine regni Samor,Samothræ ſibi vocem adoptauit.

Alius eſt author in vulgus famigeratior ac celebrior ſed fabulatoris ſuſpitione nonnihil aſperſus, Ioannes Mandeuillus. Cæterum quamuis propter quarundam rerum incredulitatem,eius authoritas leuioris apud pleroſque ſit ponderis,tamen hiſtoriarum,& itinerarij monimentis ſuffragantur nouitiæ nauigationes,&.2.narratio Ferdinandi,magna enim ex perte Ferdinandi dicti conſonat.Nam illud in confeſſo eſt,ipſum Mandeuillum in parte orientis fuiſſe.Etenim anno ab hinc. M. CCC. XXII.peregrinationem ſuam auſpicatus eſt,perhibet ćꝫ ſe annos.Vſcꝫ.XXXIII.orbem luſtrando diuigatum & de plagæ orientalis opulentia,ac imperij potentia,eiuſcemodi tradit,quæ à Marci itinerario haud multum diſſentiunt.Sed quo minus multorum calculo ipſius probentur libri,in cauſa ſunt exẽplaria ſubdititia & viciata, & ab archetypo valde diſſidentia.Non protinus tamen omnia eius dicta aſſeruerim,in ijs præſertim,in quibus accepta ab alijs aliena fide perſcribit,nam in his diſſentanea veritati,non mirum ſi prodidit,facile enim externa externis perſuademus nam quod naues Indicas ferramẽtis carere narrat ex alieno ore loquitur,necꝫ enim verũ eſt magnetum in eo mari reperiri,qui ferrum attrahat idcꝫ obſtare quo minus naues ferramentis cõpingantur atqui ferro hæc regio caret,quaſi vero quis roget cur homines non imitentur dædalum volando in ſublime?an quia verentur ne more Icari in mare decidant?an potius quod alis carent?necꝫ enim illic magnetis formidine,ſed ferri inopia ad nauis fabricam ferro non vtuntur. Nam Luſitani noſtro æuo,nauibus ferratis nullo diſcrimine,

aut

ut offenſa vniuerſum mare Indicum tranſmittunt.
Quod autem de Antropophagis,quos Indigenæ Cani-bales vocant,malus interpres hominibus perſuaſit, adeo vt in tabulam marinam non puduerit homines Canina capita habentes referre pictura quis miretur ? cum videat Plinium,Solinum,infinitosq; alios grauiſſimos ſcriptores multo monſtruoſiora mandaſſe literis. Sed vt hęc ſeſe habent,eius voluminis potiſſima pars,recentiorũ nauigationũ,atq; exploratorum maris conſenſu facile comprobatur.

Huius Ioannis Mandeuillii indiuiduus itineris comes fuit Odericus à foro Fulij inter ordinis Franciſcani cœnobitas vitæ ſanctimonia conſpicuus. Itaque quum hortatu & impulſu Cardinalium quorundam,commentarios ſui itineris conſcripſerit,conformia maxime ijs quæ Mãdeuillus recenſet,de orientis tractu commemorat. Nam & Mandeuillus in ſuo itinerario de quibuſdam Franciſcanis Longobardis mentionem infert, quibus ſocijs & comitibus Paleſtina,Perſide,Carmania,inſula orme vel ormes peragrata,demũ in Indiæ regnũ,cui nomen Cana peruenerit. Inde ad regnũ Colõ vel colũbe illic ſyluã piperis admodũ feracẽ ingreſſi, Ad regnũ Porrò Moabar perrexerunt,atq; in vrbe Calamina,diuum Thomã viſerunt. Hinc orientis plagas perreptantes ad inſulã Samothram,dictamq; Ptolemæo Taprobanen appulere. Inde ad Ianam,tum ad inſulam quam partim Burney, partim Porne dicunt,dehinc ad regnum Sabæ perrexerunt,poſitum in continente occaſum verſus. Porrò alijs atq; alijs pertranſitis inſulis maritimo itinere,adplicuerunt ad portum Zoyton,inde progreſſu viæ ad fines Manſi. Meſſigo modo nomen eſſe puto,eius meminit & Ferdinandus Corteſius,deinceps varijs regionibus perreptatis ab vrbem Themiſtetam profecti ſunt. Id oppidum ſuperiores memorię prodiderũt in lacu ſalſo collocatũ,vrbẽq; Venetias claritate et amplitudine mul

tum ex-

tum exceſſere, Imperatoris hic eſſe regiam, domos ma-gnificentiſſimas,finitimarum omnium gentium,regio-numq́ ditionem. Mira ſunt ac propè fidem excedentia, quæ ſcriptores de huius & Imperatoris & vrbis magnitudine,opibus & dominatione perhibent. Hic terminus fuit itineris,ad hanc vſq́ metam illorum decurrit pere-grinatio. Inde receptui cauentes, ac itinere conuerſo in patriam ſe recipere cœperunt.

Illud certe obiter admonuiſſe non abs re fuerit,non eſſe auſcultandum ijs, quæ de Papa Ioanne commemorãtur,ſed de hoc poſterius. Enimuero diuino quodam bono factum eſt,quod quę hactenus in obſcuro mortales latuerunt,æui ſe noſtri luminibus ſubiecerint,& ſole ſint clariora omnia. Nam quas vetuſtiores per eoum pelagus regiones accedebant,Hiſpani hodie Athlantici maris nauigatione petũt,cognitũ enim eaſdem eſſe terras,poſtea quàm Ferdinandus pontentiſſimæ illius & penè inuictæ vrbis Themiſtetan imperio potitus eſt. Si vberiorẽ de huius vrbis ſtatu & conditione expoſitionem Pręſul optime requiris,aſciſcendus eſt Ferdinãdus in ſecũda ſua narratione ad Opt. Max. Cæſarem Carolum. Hic admirabilia atq́ ſtupenda videas,& quàm grandia ac inuſitata noſtro ſæculo Deus molitur & patrat, An vnquàm fando auditum eſt, talem ac tãtum principem,cui opibus toto orbe nemo ſit comparandus,in poteſtatem veniſſe cæſaris,eiq́ in clientelam deditum.

Anno abhinc Milleſimo. C C. trifariam diuiſi Tartari,partim ad ortum,partim ad occaſum,partim ad meridiem ſuis finibus exceſſere. Verum ad occidentem profectis reſiſtunt Ruteni,Hungari,Bulgari,oppoſiti velut obices quidam,ac repagula,quo minus in vlteriores ad occaſum regiones penetrent. Hi occupato tractu Mœotico imperij ſedem olim illic ſtatuerunt.

Anno rurſum M. C C. X X I. noua Tartarorum manus populabunda Perſiæ,finitimarumq́ regionũ agros

pererrans,

pererrãs,circa Hircaniam imperium inſtituit, quorum tamen poſtea haud mediocriter cecidit dominatio,atq; extenuata eſt. Cum autem pecorum paſtioni & cultui cum primis ſtuderent,maxime pingues & opimos Perſidos & Meſopotamiæ campos ad pabula pecudum delegerunt, Cæterum auctis dein viribus Perſæ,bello victores,ſuis finibus Tartaros expulerunt. Expulſi & profugi in Syriam irrumpentes, & Armenia, dein Cappadocia occupata,poſtremo totius Aſiæ regno potiti ſunt, Ex hac fece & colluuie Tartarorum prodierunt Turci,nomine à duce & præfecto exercitus indito.

Ad ſeptentrionem quoq; peculiaris dominatur Tartarorũ imperator. Gens tentoria & caſtra habitat. Ille olĩ adeo potens,vt reliquis Tartarorum regibus dominaretur,nunc mutata vice rerum eius imperio non amplius parent,de hoc verba facit Vincentius in calce ſuarum hiſtoriarũ,non pauca de moribus & ritu illorũ referẽs.

Cæterum qui in ortum ſedes,quærebant,beatiorem regionem nacti, & nationem imbellem,atq; inualidã,facile illã armis ſubegerunt, Horum latiſſime ſe imperium extendit in tantum vt hic orientalium populorum imperator,magni Can nomen tulerit, Quo magis obſtupeſcẽda venit, & admiranda,incredibilis & planè diuina noſtri cæſaris felicitas,cum ob preclariſſimas poſt hominũ memoriam innumeraſq; victorias ac triumphos,tum vel ĩ primis ob huius tanti, tamq; potentis imperatoris iugũ qui armis Ferdinandi Corteſij virtutis & belli laude clariſſimi viri cum vniuerſo regno in ditionem Cęſaris Caroli conceſſit anno ab hinc. xxij. ſupra. M. D. neque enim vel patrum ætate,vel noſtra tempeſtate reperiatur qui iſti magno Can.aut regni,aut opum gloria æmuletur. Cumulatur fortuna Cæſaris, & vt calamitatis ſolet comes eſſe calamitas,ita fœlicitas fœlicitatis. Nam rex inſulæ Theodori ſimili quodam fatorum impulſu, ſponte ſe,atq; vltro ſuum diadema Cæſaris imperio ſummiſit.

miſit, elogio teſtatus naturæ legi non eſſe refragandū, prædicabat enim palàm & ſyderum prognoſticis edoctū fato protendi exorto è ſeptentrione Principi nominis & imperij per vniuerſum orbem propagationem. Conſimilia quoq; regni ſui proceribus edicebat magnus can rex de monteſuma diem adeſſe vaticinij quo prænunciarentur externi venturi, ipſisq; dominaturi.

Cæterū vt cōpendio pergā, ad præſentis ſphæræ deſcriptionē conſummatius abſoluendā, omnes omniū quos q̃dem nanciſci potui, terræ configurationes contuli, quanquam maxime ex parte inter ſe diſcrepantes. Omniū autem pulcherrimam ſphæram videre contigit, præclari illius & famigerati Maximiliani Tranſſyluani, verum licet induſtrie, periteq; adornatæ & effictæ, nōn tamē meum appono calculū, vel reclamante quamlibet peritorū nautarum aſſenſu. Etenim Culuacanam illi ab orientalibus oris interſtitio maris dirimunt, at nos ſupra oſtendimus Culuacanam cum dominio magni Can coniunctos habere limites. Vnde planum fit longitudines illius deſcriptionis minus eſſe probandas, latitudine irreprehenſa Plærique enim omnes noſtræ tempeſtatis Hiſpani latitudines interdiu quadrante per radios ſolis, noctu per ſtellas inerrantes emetiri conſueuerunt. Quod maxime neceſſarium eſt ijs, qui remotiora maria adeunt. Qui vero longitudinum ex amuſſi menſuram colligere norint, haud multos inuenies, nam per deliquia ſolis, aut lunæ potiſſimum, vel applicatione Lunæ ad erraticas, aut inerrantes ſtellas, quod non æque præſtatu facile effici debet. Hoc aſtrorum quidem, ac Coſmographiæ peritis in promptu eſt, nautis non item. Cuius rei vt planiorē intellectum probeam, re ipſa comperi marinarum tabularum deſcriptiones nunquàm non in longitudine à vero diſcedere. Erroris origo fluxit ex indicibus circūforaneis & quod non centeſimus quiſque polum contempletur niſi obliquato ad ortum conſpectu. Hæc res anſam nau-

tis

tis dedit Chartas ſuas omnes vt exararint oblique. Quod Coſmographiæ peritis non eſt ignotum. Quare non protinus nautis aſſentiendum, infinitos enim eosque fœdos lapſus ipſorum notare, haud longum foret, quippe cum artium principijs & doctrinæ fundamento careant. An non ille inſignis error maris altitudinem in immenſum deuergere nulla fundi profunditate finita? quod omnium tum naturæ peritorum, tum Mathematicorum conſenſu, ratione, authoritate refellitur. An non illud æque abſurdum, mare inſtar montis ſupra terræ faciem attolli? quod ſi recipimus, quid obſtet quo minus vniuerſum terræ globum æquor inundet. & vndis operiat? Ex eadem ſunt nota, qui terræ infimum extra mundi centrum collocant, neque ſub anterctico cardine terram credunt. Et qui Antipodes abnuunt, in qua hæreſi fuit alioquin, cœleſti ingenij acumine Diuus Auguſtinus, at experientia, & oculorum ſenſus manifeſto contrarium demonſtrat. Sunt enim ſub cingulo media & vltra antipodes, atque ex diametro oppoſiti, vt noſtræ ſphæræ, deſcriptioniſq; intuitu liquido cognoſcere licet. Etenim qui circa caput Palmæ vocatum incolunt cuius eſt longitudo ab inſulis fortunatis: ad gradus prope. 20. ex aduerſo ſub Aequatore circulo reſpiciunt Antipodas inſulæ Sylolis habitatores interceſſu longitudinis. C C. graduum, trans Zonam torridam. Mongaliorum natio ad auſtrum in America poſitis obijciuntur.

Neque Porrò veterum non aliquãdo à vero deflexit opinio, multis enim ſæculis pleroſq; terræ ſcriptoris hæc habuit ſententia medium inter Cancri & Capricorni limitem terram inhabitabilem eſſe. Oceanumq; ſimiliter indidem innauigacilem eſſe. Cui opinioni palàm refratur noſtræ tempeſtatis experientia, nam vt eſt videre perſpicue in noſtra configuratione, pridem inuentæ regiones maxima ex parte duobus tropicis, interiectæ ſunt.

Reſel-

Refellendus nunc etiam occurrit error arbitrantium Hieroſolymam in medio orbe eſſe conſtitutam, nempe inde ducta coniectura quod in phano Hieroſolymitano inſcriptum fuerit. Deus noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ. Sed fucum illis facit metaphora qua per medium terræ deſignatus Chriſtus, qui interuentu terræ. i. humanitatis, cuius ſymbolum terra repræſentat, nos ſeruarit. Cæterum viſus & vmbrarum argumẽto clare falſum id eſſe conſtat experientia teſte & indice Solis radios ad normam in Hieroſolymitanam plagam nullo anni momento decidere. Sed neq; vſui, neq; voluptati foret tibi Pręſul optime oẽs omnium errores nõ dico diſcutere, ſed enumerare.

Sed quæ ad Geographiæ diſciplinam facilius comparandam conducunt, nõ infrugifere videor paucis perſtricturus.

Ad imbuenda igitur huius ſcientię primordia non inhabilis atque inidoneus eſt author Ioannes Scouer reiectis ijs, quæ de Orientalibus prodit. Sphæræ tamen ab illo deſcriptio, quæ magni in vulgus ponderis habetur tantum abeſt vt à nobis probetur, vt eam Vulcano conſecrandam iudicemus. Ad eadem quoque Coſmographiæ & Aſtronomiæ tradenda incunabula, non minimum contulerit vir excellenti ingenio & doctrina Petrus Appianus. E chartis, Ptolemæi figuras arte & induſtria ſingulari elucubratas vehementer approbo, Sed recentes poſteriorum appendices & additiones cenſoriæ virgulæ, & obeliſci pœna damno. Nam ea charta quæ Ptolemæi defectus, erroreſque penſare, emendareq; pollicetur, fœde in longitudinibus & latitudinibus hallucinatur, cauſam auguror, quod ſphæræ deſcriptio in plano iuxta rationem proportiõis exprimi, figurariq; probe nequeat, dico inquam in plano continuo, nam particulis diuiſim efformari poteſt, quæ compoſitæ ſimul & cõmiſſæ ſphęricam effigiem abſoluãt.

Verboſi

Verboſius autem exponere omnium litorum, inſularumq́ recens inuentarum ſitum, cum propter ſpacij & temporis exiguitatem, deſcribendis longitudinibus & latitudinibus mihi haudquaquàm commodum foret, tum vero minime fructuoſum, ac pene ſuperuacaneum, quippe cum ex ipſa ſphæra has omnes ſingulatim dimenſiones oculis luſtrare ſit in promptu. In quibus autē à Ptolemęo, cęterisq́ diſſideo, illis erit procliue cognoſcere, qui Coſmographia eruditi artem dimetiendarum latitudinum & longitudinum tenent. Cumulate enim veritatis ſtudioſis ſatiſfactum putaui, etiam citra prolixam cūctorum exquiſitionem, ignaris autem & tanquàm cæcis ne acc rato quidē inſcientię collyrio animi caliginem, mentisq́ tenebras diſpulerim.

In primis autem videas oportet, ne te conturbent varia, & ſæpe diſcrepantia eorundem locorum nomina. Apud Ferdinandum Culua, ſiue Culuacana prouincia eſt in qua iacet regia Imperatoris orientalis, in itinerarijs alias Cataya, vel Catay nuncupatur. Themiſtetam neotericis eſt, ſeu Tenoſtica ante Quinſam, ab Oderico Themiſan vocata, isq́ propius veritatem attigit, concordi & conſentiente traditione autorum, de regionis eiuſdē opibus & poſitura.

Ad Septentriones à Culuacana terra. Thamachū protenditur, olim Tangut dicta, Teuis ſuperiora ſæcula nūcuparunt Tebet, vel Cibet, Meſſigo prouincia temporibus auorum Manſi vocabulo innotuit. Cariam nomen vertit in Catami, Seniores Singicularum, noſtrates dicunt Singimoloam. Corteſio, fluminis nomen eſt Patuncium, ſuperiori ætati Pulſancum. Hæc nomina tum recētiorum, tum veterum, vt ſibi viciſſim alludunt, ita non pauca offendi, quorum nullam inueſtigare potui conuenientiam & ſimilitudinem.

Cæterū illud iam pro comperto ſit ea loca & regiones quæ Marcus venetus, Mandeuillus, & Odericus luſtrarunt,

runt,deſcripſeruntq; ad occaſum ab Hiſpanis nunc inue-tas,& Ferdinandi Corteſij ductu, & armis ſuperatas,& noſtros ad ortum fines hucuſq; promitti. Hęc ego pau-cis percurro. Nam illud pręfatum cupio,me hac epiſtola ceu indice digitum modo ad fontes intendere voluiſſe, ita neq; ego epiſtolaris formulæ præſcriptum exceſſero, & tibi ad manum erit pleniorem omnium notitiam vbi Iubebit, ex autorum ipſorum monimentis & copia con-ſectari.

Orientalis gens Climatis, tametſi mundi, cœliquę vnum profitetur deum, tamen Idololatriæ operari, de-prehenſa eſt,ritu apud nonnullos populos deteſtabili hu mano cruore,infantumq; cæde ſacra peragentium. At dei vox irreuocabilis & ſancta qua præcinuit,legatorum ſuo rum ſonum totum orbem peruagaturum, in omnem terræ partem veriſſima ſui ſigna & teſtimonia diffudit, nec enim loca hæc ſemotiſſima Diuorum reliquiis, & cor porum cuſtodia caruerunt,venerata etiam crucem Chri ſtianam, nulla licet rei cognita cauſa, ſed diuino tantum inſtinctu, cum nationi neque Chriſtus, neq; lex eius no-ta foret.

Autor eſt Mandeuillus annos abhinc.200.complures inibi Chriſtianæ religioni & ſacramento intiatos. Nam & ipſe Odericus in vrbe Themiſtetã ad noſtrę religio-nis amplexum perduxit virum nobilem,ac alium item in ciuitate Cartami,cuius nationis homines præ cęteris ex-tollebat,multosq; exinde Chriſtiano lauacro imbuit, ve-rum poſt eius diſceſſum,cum nulli ſupereſſent qui illos in ſuo inſtituto continerent,intercedente,emorienteq; re ligione,religionis tamen ſigna remanſerunt, in ſumma veneratione,omnium animis perſuaſis, malos dęmones, iſtis ſignis ſimulachriſq; profligari.

Succurrit nunc exquirere,vbinam terrarum Papa Io-annes:quem vocant,ſedem teneat, quod alia atque alia diuerſi de ipſo,multumq; abſurda diuulgarunt. Aberra-

runt

runt enim omnes in loci demonſtratione & nominis ignoſcitia. In his fuit & Mandeuillus, qui nunc in India, nūc vltra Culuacam Papam Ioannem collocando, variasq́ aliorum opiniones recenſendo, ita ſeſe inuoluit ac intricat, vt ſatius fuiſſet illi os compeſcere, quàm eiuſcemodi effutire. Erroris anſam prębuit Indiæ vocabulum, bifariam vſurpatum, nam autore Ferdinando Corteſio Indiæ nomen commune eſt omni Aethiopiæ tractui, ſiue orientali, ſiue occiduo. Cunctis enim æthiopici climatis incolis Indorum nomen eſt à colore, nempe & nigris & aquila ſpecie Indorum more. Sed peculiari ſignificatione Indiæ nomen proprie tribuitur regioni inter duo interiectæ inclyta flumina, cuius alterum ab occaſu limitem Indus tangit, alterum ab ortu Ganges. Nam plagam ſupra gangem altam Indiam appellant. Hic Ptolemæus auriferam regionem eſſe tradidit, licet aurea illa Cherſoneſſus, quā iuxta Cingulū æquinoctialē poſuit, hodie nuſquàm, ſicut ipſe tradit, veniat in conſpectum, nec in hac Indiæ parte, neque item in oriente ſupra Indiam repertus eſt Papa Ioannes. Verum cùm ait ipſum in Abeſſia regnare, aliam nobis deſignat regionem. Hæc enim terra ſita eſt in Aethiopia ſupra Aegyptum, ad quam inde nonaginta dierum iter ad auſtrum progredienti, paulumq́ ad ortum deflectenti patet. Hic ingens Chriſtianorum numerus, partim eorum Nubiani, partim Habaſcini dicuntur. His præeſt Rex in ſacerdotes iuxta & prophanos omne ius imperiumq́ obtinens, hunc ipſum Papam Ioannem eſſe aſſeruimus, non noſtro ſic æuo, ſed priore eo titulo nuncupatum. Neq; vero iis aſſentiendum, quę falſo multis ante annis de illius imperio ac potentia memorię prodita & in vulgus ædita ſunt. Ceterum dicūtur Aethiopes Indi propter nigrorem coloris. Deinde quod ad Africę ſeu Aethiopię limitem orientalem habitāt, vnde clarum euadit, & in orientis, & in Indię, & in Aethiopiæ parte, ſupra Aegyptum eum verſatum, quoniam hęc

omnia nomina licet diuerſa, vni eidemqúe loco conue-
niunt.

An Chriſtianorum religio & ritus hunc vſq; in diem illic perennauerit, in ambiguo ſum. Extat in actis apoſtolorum, quo pacto Philippus Eunuchum Candacis Reginæ, hoc eſt Meroe, baptiſmo exceperit, qui deinde dimiſſus ſuis Chriſtum prædicauit. Sed quod omnium apoſtolorum ſementis nunc maxima ex parte euanuerit atque exaruerit, preterquam Petri & Pauli (pro Petro enim Chriſtus deprecatus eſt) ab eo tempore in hanc horã Chriſtianam religionem illic perſeueraſſe affirmare non auſim. Memini autem me alias legere Imperatore Carolo, cognomento magno, qui religionis ampliandæ cauſa contra Barbaros magna bella geſſit, Germaniæ proceres cũ non parua manu Aegytum petijſſe ac intimis regionis penetratis, tam alte ſe inſinuaſſe, vt obiecto vitæ diſcrimine ſi reuerti domum vellent, coacti ſint ibi ferro & armis ditionem agroſq; parare. Itaque occupatis fertiliſſimis finibus creato pontifice, & religionem hic Chriſtianam propagarunt, & virtute, bellandoq; complures regulos finitimos ſibi tributarios effecere. Ex eo tempore mihi perſuaſerim Chriſtianorum ibi ritus & initia ſubſtitiſſe, quamuis varijs in rebus à vero Chriſtianorum cultu diſſideant. Exoticis ceremonijs imbuti non ſolum perfundẽdi baptiſmo, ſed circuncidendi exẽplo Phariſæorum. Ieiuniorum tamen vel in primis anxij obſeruatores. Nam Habeſſinis locus eſt Hieroſolymis inter Chriſtianos, iiq; habentur religioſiſſimi, vt ſuorum inſtitutorum & legum diligentiſſimi ac ſanctiſſimi cuſtodes. Hęc de Papa Ioanne. His conformia forte acceperat Mandeuillus, ſed Coſmographiæ imperitia lapſus, de Ogero duce qui miranda pro Chriſtiana religione patraſſet, & ad Culuacanam vſque ſuperatis omnibus interiectis terris, quæ narrat, quam ſint ridicula, & ſiculis gerris vaniora, nemo hercle qui orbis ſitum vel primoribus labris degustarit,

guſtarit, non intelliget.

Supereſt quæſtio celebris, quæq; non ſolum geographos, verumetiam eximiorum theologorum tentauit ingenia, quanam in parte orbis Paradiſus illa beatorum ſedes exiſtat, Poetis, ni fallor, campi dicti Eliſij, vbi deus initio Adamum conſtituit, ac vnde leges ſuas præuaricantem exegit: multo maxima pars ſub zona torrida collocat. Huic opinioni refragatur alia factio. Sed cum Geneſeos liber Hieroſolymis conſcriptus ſit, huius reſpectu orientem animo concipere debemus. Deprehendi certe in opere Coſmographico duarum linearum concurſu ex ortiuæ & æquinoctialis, locum & inſulam nomine Samotram. Hanc & priſca vita norat & adibat, & recentior nauigatio luſtrauit. Reperta gens eſt fera & nuda, huius gentis populum Caribes eſſe in parte conſtat. Hic (dictu mirum) duæ ſunt nationes ingenito & inexpiaboli odio inter ſeſe mutuo infenſi, infeſtiq;, & velut diſcreta cœli natura & diuiduo polorum regno diſſident, nam in ſeptentrionem verſi in auſtrum ſpectantibus aduerſantur, & hi illis viciſſim, non aliter ſanè quàm Scoti & Angli, qui eiuſdem licet inſulæ cultores reciproca talione ſeſe in uicem oderunt, cane peius & angue. Sit ne hic paradiſus alij viderint, cum ſacra ſcriptura huic opinioni in totum repugnet. Mihi probabiliora tum ratione, tum autoritate ſectanti, omnino illa paradiſi regio aſſignanda videtur, quo loco Adamus protoplaſtes arboris interdictæ guſtato pomo, Dei & mandato & regno excidit, quoq; loco Abrahamus dei iuſſu arietem pro filio immolauit, vt parens numeroſiſſimæ ſtirpis fieret. Deniq; vbi teſte Hieronymo ſecundus Adamus Chriſtus ſupplicium dependit, vt quo in loco Adamus omne genus humanum noxia obſtrinxerat, eodē diuina pietas lueret admiſſi crimē. Iudęam igitur quā veneratione nominis Chriſtiani Terram ſanctam appellāt, vere Paradiſum dixerim. omnes autem controuerſiarum hac de re laqueos diſſoluere neq;

re neq; inſtituto epiſtolæ compendio conuenit, neq; eſt neceſſe. Nã vt in ſumma rem expediam, animaduertiſſe videor omnem litem ex illis verbis, oriens, fons poſuit in Paradiſo, ſimilibusq; enaſci.

De reliquo, quantum ad noſtræ deſcriptionis formulam attinet, illud mihi prefari licet Præſul optime in hac orbis terræ delineatione, ſummo me ſtudio, diligentiaq; verſatũ, idq; omni cura meditatũ, nequid à nobis emitteretur minus veritatis tenori, fideiq; conſentaneum. Cæterum vt citra prolixæ narrationis tædium rem omnem explicem, nũc paucis. Igitur Ptolemæus graphice & perquàm ſcite Europen expreſſit, partitusq; eſt. At ex recentiorum obſeruatione & dimenſu Europæ tabula ædita eſt, non quidem prorſus refutanda, ſed in qua nequaquàm vniuerſa hæc mundi pars repreſentetur, imò ea dumtaxat, cuius ad authorem noticia peruenerat, nam iuxta veterum traditionem ad flumen vſque Tanaim pertingit, hinc Ylandiam ad mare vſque Glaciale porrecta, atque inde porrò totam Ruſſiam. Lappiam, Wildlappiam, Suediam, Daniam complexa. Late enim patet Europa, cuius tamen partium ille ipſe Chartæ author, ac ne Thraciæ quidem, aut Greciæ, inſignium maxime locorũ deſcriptionem exequitur. Superiorum autem Geographorum delineationes claudę, neq; omnibus, quod aiunt, numeris perfectę reperiuntur, vt clare patet noſtrę configurationis exemplar contemplanti.

Africa quaſi vaſta quædam eſt Cheroneſus, ſeu peninſula, ceruicis amplexu Aſiæ cohærens, in reliquo circuitu mari circumflua. Hanc qua in auſtrũ ſpectat noſtra ætas patefecit, viſiturq; expreſſa imago inſulæ, cui diuo Laurentio nomen inditum. Marcus Venetus Mandagaſcarem appellat. In hac eſſe commemorãtur aues vaſtæ magnitudinis, ſtatis anni temporibus aduolare ſolitæ, quæ homines (ſi credere dignum eſt) & feras grandiores momento velut miluius pullum, rapiunt, Indigenæ Ruch

vocant

vocant, Luſitani Rochos, priſcorum mõnimentis vt alia multa, ita hoc quoque fabuloſe creditum dictat animus ſcilicet Leones eſſe mõſtrifica effigie, alis & roſtro Aquilæ; reliquo corpore leonum non abſimiles, quos Gryphes nuncupant. Somnia profecta vigilantium, & mera hominum commenta, noſtra ætas vidit hanc auem, miluio figura conformem, celſitudine & amplitudine imparem. Idem cauſam allegat cur ea inſula, aliæq́ʒ finitimæ infrequentius ab Indis orientalibus adeantur, nam mare illud concitatiſſimo impetu rapi in occaſum, maniſeſto Luſitanorum experimento, qui in ortum nauigãtes, Caput bonæ Spei appellatũ, non niſi immodico prę ſpacij ac viæ longitudine, temporis ſpacio ſuperare valuerunt: idem reliquo mari naucleri ſentiunt, vbicunq́ʒ circa litora æſtus vndabundus & denſior ingruit, inde mare citatiſſime in occidemtem deferri, perinde ac ſi in vallem deflueret. Itaque duplicem eſſe maris fluxum conſideranti liquet, vnum ipſius æſtus vltro citroque reciprocantis, iuxta ſyderis lunæ motum humidorum & aquarum præſidis. Cum pro iſtius aſtri vel ortu vel occaſu, nunc recedat, nunc aduentet. Alterum mundi totius, quo & mare, cum aere & igni, & orbibus ætheris ab ortu rapitur in occaſum, non quod omnino firmamenti ſequatur motum. 24. horarum ſpacio ſe circumagens, ſed quod pro ſuæ naturæ craſſitudine ac grauitate, cœleſtis ſphæræ harmoniã, curſumq́ʒ imitetur, experimentis etiam palàm fit nauium curſum facilius & citius in occaſum agi, quam in ortum, quanquàm huius rei cauſa aliunde pendere videatur. Accepi enim ventũ ferè flare in nuper inuentis terris ab oriente, quæ res nauium impetum remorari haud dubie poteſt. Nunc ad reliqua, nam etiam minutiſſima ſingulatim perſequi inſtitutæ epitomę alienum fuerit.

Samotram recentiores aliter, quàm vetuſtiores deſi-
gnant, eius longitudo extima ad auſtrum cenſetur propè
modum.164.graduum, latitudo.7. Citima longitudo ver
ſus polum arcticum non excedit gradus 47. Latitudo.6.
Media vero lõgitudo.160.partes plus minus explet, atq;
ita obliquo ſitu tranſuerſa lineæ æquinoctiali ſubtendi-
tur, tametſi latitudo.4.partes non egrediatur longitudi-
ne ad.12.porrecta, In noſtra ſphæra Ptolemæi figurã ex
primendam curauimus, vnde manifeſto colligi poſſit,
hanc vere Taprobanam eſſe, licet extenſioris longitudi-
nis, quàm Ptolemæus opinabatur.

Haud procul à loco, vbi Taprobanam collocauit Pto
lemæus, ex aduerſo regni Moabar, reperta eſt inſula no-
mine Scylam, neq; ideo tamen hanc Taprobanen eſſe vo
luit cum ſit extta æquatorem, neque ei competant quæ
idem de Taprobana cõmemorat. De reliquis inſulis pri-
dem additis vir omni doctrinę laude cumulatiſſimus Ma
ximilianus tranſſyluanus meminit ea epiſtola, quam de
Moluccenſibus inſulis ædidit, quæ in mari tum Sur, tum
Syni, tum Syn, aliter atq; aliter dicto extant, præclarę ſa
nè & noſtri ſæculi hominibus demum patefactæ, ditio-
nis omnes, & Portionis regis Hiſpaniæ præter Ianam &
Pornen ſeu Bornen, quarũ pars in occaſum vergẽs, regi
Luſitaniæ, pars ſpectans in orientẽ Hiſpanię regi ſubdita
eſt, arbitrantur tamen haud pauci iſtã inſulã Pornen do-
minio regis Hiſpaniarum rectius aſſcribi, at pro certo id
affirmare & demonſtrare haud fuerit in promtu abſq;
vera cœli obſeruatione per lunæ motum aut deliquium.
Hæc inſula Porne commendatur ab aromatum prouen-
tu, à populi ritibus, morumq; inſtitutione, reliquorum in
ſulanorum ciuiliore & mitiore. In ea vrbs eſt eximie po
tens, inuenta à Magellano, quam ſuperiores quoq; ſcri-
ptores nequaq̃ ſilẽtio præterierunt, alio nomine vocatã,
modo Pacem, modo Talamaſſim, ſeu potius Calamaſſim
ab arundinum ibi miræ magnitudinis enaſcẽtium copia.

Petrus

Petrus Martyr in libro ſuarum decadum, harum arundinum meminit, alioquin obuia atque expoſita ſoli fertilitate.

Ad occaſum ab inſula Geloio. 5. numero ſunt inſulæ dictæ Moluccę. gariofili, nucis myriſticę, cinnamomi feraces. Tres autem Tarenti, Theodori, Mare, cum primis gariofili fœcũditate præcellunt, Mutil vero cinnamomi. Cæterum inſula nomine Badan, nuces macis tanta vbertate, quanta noſtra regio glandes profundit, omnes autẽ ſunt portionis & ditionis Hiſpanorum. In prefata Maximiliani epiſtola perſpicue vides quemadmodum Theodori Rex perpetuo ſeſe ſubiecerit, faſceſq́ ſummiſerit Cęſari, vere Auguſto Carolo. Hic venit in mentem, quaſi ex diuerticulo nonnulla recenſere, quę & admiratu digna, & memoratu non indigna reor.

Anno à natali Chriſtiano. M. D. XX. cuiuſdam apud Heluetios Sybillę oraculum extitit, quod nemo non humanum faſtigium ſupergreſſo Principi noſtro Carolo attribuit, nempe in hęc verba, ANTIPODVM FINIBVS OCCLVDET IMPERIVM, ET HVIC CERVICES SVBMITTET GALLIA, AD EIVS GENVA SVPPLEX ADNABIT CLASSIBVS BRITANNIA, ITALIA AEGRE AD ARDVA SCEPTRA RESPIRANS, OLLI LANGVENTEM PROTENDET DEXTRAM. Quis non, quis inquam preſentem rerum ſtatum intuitus, ac penſitans illam vatem hæc de Cęſare noſtro pręcinuiſſe affirmet? tot, tamq́ claris argumentis & ſignis, quæ hactenus fidem prognoſtico aſtruunt. an non eius imperij, dico Cęſaris, & ſplendorem Antipodes reuerentur, & Thronũ ſuſpiciunt, & ſceptra agnoſcunt? Quod etiam in noſtra configuratione annotauimus. Sunt enim Moluccẽ. inſu

læ fert

læ ferè ex diametro Hiſpaniæ vertici meridiano aduerſi, nam Hiſpanis ſol medio cœlo decurrit, quum Moluccenſibus concubia nox eſt, & contra his altera diei pars deuoluta eſt, ſumma illorum & intempeſta nocte, Eximia ſane atq; mirabilia, quę noſtro æuo deſignat deus, qualia nullis annalium hiſtoriarumuè monimẽtis prodita ſunt. An vnq̃ fando à condito mundo prius auditum, claſſem vniuerſum orbis ambitum circuiſſe? at hoc Caroli Cæſaris auſpicijs dedere Superi. Cardinem antarcticum, ignotas terras, maria, populos trans mundi medium limitem videre contigit, quę eſſent nec ne, vix ſatis olim conſtans erat opinio. At Cæſaris noſtri exploratoribus multo ingens orbis pars ſeſe aperuit, nudauit, retexit. Quid dicam de tot, tamq; potentibus regibus, qui clementiſſimo Cęſari parent. Glorietur nunc Alexander Macedo & ſpiritus attollat, & totius orbis dominatione tumeat, cuius ſi in vnum cuncta regna cumulentur aceruum, non decimam Cęſaris portionem adæquent, neq; enim Indiam tranſgreſſus eſt, & de antipodibus tantum fama cognorat, tãtum abeſt vt illic vſque imperij ſui terminos propagarit. Et iam ſcilicet homo inſatiabilis ambitionis ad plurium mundorum mentionem illachrymauit, cui ne vnus quidem minima ſui parte poſſeſſio ceſſerat, ſed verius nimirum cognomen Magni geſſerit Carolus ille Pipini, ob vitę ſanctimoniam, & rerum geſtarum gloriam. Qui Barbaros Hiſpania expulit, Hieroſolymam recepit, Chriſti religionem ea tempeſtate debilitatam erexit, erectam decorauit, decoratam in omnem orbis regionem diffudit. Pręclara illa ſanè & vera victoria, qua nõ tam armis imperij limites, quàm doctrina & pręeicatione religionis fines amplianttur. Nunc demum ingenue, nunc vere exclamare licet, In omnem terram exiuit ſonus eorum. Eat nunc Iudas Macchabæus, Rolãdus, Oliuerius, vel ſi Romanos aut Græcos mauis, Themiſtocles, Epaminundas, Scipio, Cæſar alijq; innumerabiles, iam vel ipſi

ſuas,

ſuas, noſtrorumq́ꝫ Principum res geſtas componant, ac conferant, faceſſent protinus, herbam porrigent, Victoria cedent profecto. Taceo de inuictiſſimi viri Ferdinandi Corteſij rebus geſtis, qui in alienis regionibus nulla opis externæ ſpe propoſita, tot ac tanta patrauit, qualia in eius narratione ſecunda latius explicantur. Qui magnum Can ſuo Marte debellauit, Regem ſcilicet montis Suma ſubegit, aliaq́ꝫ perilluſtria belli facinora auſpicijs Caroli imperatoris noſtri, fœlicitatis ſolidæ archetypi ædidit, nam ſi omnium ætatum, gentium memoriæ Duces atque Imperatores corroges, committasq́ꝫ cum hoc imperatore noſtro Carolo, neminem illi vel rerum geſtarum magnitudine, vel gloria parem inuenies. Sed redeundum in viam, neſcio enim quo pacto huius diuini Cæſaris recordatione, mentioneq́ꝫ captus à propoſito diuerterim de inſulis Moluccis ſermonem exorſus.

Situm, ordinem, inſularumq́ꝫ magnitudinem, ex ipſa ſphæræ pictura, deſcriptioneq́ꝫ cuiuis colligere paratum eſt. Oræ porrò in auſtrum ſpectantis, quæ ſupra Moluccas tenditur, & inſulas maris Sur à portu Sabæ ad fretum maris Magellanici, non ſanè fidelem, ſyncerámque omnino conformationem affirmarim, quanquàm hoc mihi liquet mare Sur non plus octodecim gradibus ad ſeptentrionem vergere. Ad auſtrum contra Vrabenſes & Dacienſes nonnullorum litorum contextum, per Vaſcum exſignatum habemus, cui quidem mari Diui Michaelis ſinum impoſuere nomen. Americij autem in occaſum tractus meta, terminusq́ꝫ ad noſtram noticiam nondum peruenit. Illic Catigoram poſui, quam Ptolemæus in continenti collocat, vltra paralellum æquinoctialem. 12. partium ſpacio, longitudine tamen incerta, forte fama acceperat vltra torridam zonam orientales plagas prorogari, ignarus vero longitudinis Catigoræ nomine portum quendam appellauit, non habita

longi-

longitudinis ratione, at Catigoram quemadmodum ipſe cōſtituit nunquàm reperies. Quãobrem melius in America inueſtigabitur ad occidentem ſolem.

Americę litora, quę in polum arcticum vergunt, Petrus martyr nuncupat terram Parias. Sed ego eam modo portionem pro terra Parias accipio, quę vltra ſinum Vrabenſium eſt ad ortũ, Ad occaſum ad caput de lignores, quidam ibi cõtendunt mare peruium eſſe ad ſinum vſq; diui Michaelis. Sed de hac re ex nullius idonei ſcriptoris autoritate quicq̃ comperti habeo. Quod in occidẽtem reſtat, ad Culuacanæ continentem pertinet.

Septentrionalium deſcriptionem inſularum, ac litorũ, cum ex Marco Beneuentano mutuatus ſum, tum vero ex nauigationibus receptis, probatiſq; conflaui, Ad meridiem duobus in locis inuẽta terra eſt in cardinem auſtralem declinans è regione Americæ, cuius longitudo occidentalis patet. 43. gradibus. Latitudo meridionalis interdum. 54. nonnunquàm. 53. quandoq;. 55. vt ipſa topographia declarat.

Pręterea inuenta anno abhinc milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, terra longitudine. 0. meridionali latitudine. 52. partiũ cultoribus vacua. Reliqua auſtralis orę etiãnum in obſcuro latent, mihi tamẽ admodũ fit veriſimile eam orbis partem non integi atq; obduci pelago. Quin cõiecturę ſunt & argumenta vaſtas illic & patentes inſulas, regioneſq; iacere, ſed propter locorum intercapedinem, ſoliq; infrugiferã indolem, minus celebratas.

Deſignatio vero horum litorum non ex mea pharetra, ſed cęlatoris Gaſperi Amyricij officina deprompta eſt. Idem vt picturam redderet gratiorem ſpectantium oculis: animantes aliarumq; rerum ſimulachra effinxit. Sed quę ad auſtrum extra lineam æquinoctialem notantur, conuerſim deſcribere debebat, capitibus, nauiumq; malis in polum verſis antarcticum.

Si animo ſedeat, æquorum, terrarumq; interualla, &

modum

modum noſſe, aut maris, terrę ue alicuius ſpacium iuxta miliarium germanicorum rationem comprehendere ac dimetiri, hęc colligendi regula obſeruanda. In æquinoctiali zona ſeu longitudinem, ſeu latitudinē capias, ſeptē fermè graduum menſura diducto circino definita nullius non terrę aut maris ſpacium exacte ſubduces, nam 7. graduū interuallū explet miliaria Germanica, 100. Italica. 400. Longitudo quippe gradus vni⁹ in cœlo, aut latitudo, tantum trahet ſpacij in terra, quantum vel Germanica miliaria. xv. vel Italica. lx. Etenim ab vrbe Bruxella ad oppidum Bergas haud procul ora maris belgici ſitū, vnius gradus diſcrimen in cœlo, aut paulo ſupra intercedit. De miliarium proportione Ioannes Scouer dilucide tractat, at pręter vulgarem opinionem miliaria Germanica non perinde eſſe prolixa experientia docet, quando huiuſmodi. xv. vnius gradus cœleſtis menſura complectitur taleq́ʒ miliarium ſit vel pedeſtri horę, & leue iter, quale (vt rem exemplo ſignem) eſt ab vrbe Mechlinia ad vicum walhemenſem quem vocant.

Habes clariſſime Pręſul epiſtolam rationum mearum, & geographię patronam, atq́ʒ vtinam ea politura, & dicendi facultate, quę tui pectoris cenſurę ſatiſfaciat. Cæterum ſi quid minus ad normam in hac noſtra terrę fabrica quadrabit, id tua benignitas pręmaturiori feſtinationi condonabit, & vinculo ordinis noſtri, quo aſſidue (vt noſti) ſic diſtringimur ad obeunda diuina officia, vt ad alias animi contemplationes reſpicere ac reſpirare vix vnq̄ valeamus, Quod ſi hos noſtros conatus non diſplicere generoſitatis tuę facilitati ſenſerimus, pro virili enitemur pleniori tuam Reuerentiam obſequio promereri. Vale optime Pręſul, & quicquid id eſt noſtrę beneuolentię atq́ʒ munuſculi, pro tua liberalitate interpretare.

F I N I S.

EXCVDEBAT MARTINVS CAE-
ſar, expenſis honeſti viri Rolandi Bollaert, com-
morantis Antuerpiæ iuxta portam Ca-
merę, ſub interſignio maio-
ris falconis albi.

-450-



hjx

c
F529
F819d